



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 61. Exercitus ac Cardinalis Ximenii discessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



petere, suumque exercitum, quem instruxerat, ducere constituit, simulque a Ferdinando Consalvum hujus expeditionis Præfectum expetiit; verum a Ferdinando repulsam passus copiis quidem Petrum Navarrum præfecit, sibi metipsi tamen supremam earum auctoritatem reservavit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1509.

Marian lib.  
29. n. 76.  
Rayna. d. l. c.  
num. 24.

§. LXI.

*Exercitus ac Cardinalis Ximenii discessus.*

Bellicus hujus expeditionis apparatus totam hyemem perduravit, donec tandem Anno millesimo quingentesimo nono exeunte Mense Februario Ximenius classem, quæ exercitum in Africam deferret, Malacam deduxisset, ac Carthaginem contendisset, ubi præstituta die omnes copię convenirent. Rei novitas omnium animos admiratione perculit, dum Franciscanum, quorum institutum profitebatur Ximenius, lorica indutum (\*) validi exercitus Præfecturam gerere

Gomez. in  
vita Xim l. 4  
Raynald. l. c.  
n. 23.

(\*) Ita Continuator; cum tamen Gomezius, quem allegat, disertis verbis dicat: Ximenium novitate & insolentia spectaculi Ducum animos & militum perculisse, illos autem non miratos fuisse, Imperatorem suum splendenti clypeo,



Secul. XVI  
A. C. 1509.

gerere videbant, cum interea Consalvus magnus ille Bellidux veluti neglectus, omni officio, ac munere destitutus, non nisi Ecclesias, ac monasteria percurreret. Ceterum tam Petrus Navarrus, quam Vianellus, ceterique omnes belli Præfetti ad Cardinalem se contulerant, adductis etiam cunctis copiis, quæ variis ex locis paucos intra dies confluebant, iisque omnibus recensitis, totus exercitus castra metabatur, ac nonnisi classem, quam conscenderet, expectabat. Numerabantur

clypeo, aut casside formidabilem, sed Pontificalibus vestibus indutum, sacerdotibus, & viris religiosis stipatum, & cruce argentea pro vexillo præeunte . . . illud vero Fr. Ferdinandus (*non Ximinius*) quo ex Franciscanis Ximinius familiariter utebatur, gerebat, gladio Hispano supra habitum Franciscanum accinctus, quemadmodum & ceteri Religiosi Viri, qui eo die, jubente Ximenio, armis se munierant. *Ceterum, ni fallor, non minor erat admiratio Hispanorum Ximinium adversus Infideles gladio ac scuto indutum conspicientium, quam Gallorum, dum Cardinalem Sanseverinatem Pisani Conciliabuli Legatum adversus legitimum Pontificem a capite ad pedes splendidissimis armis tectum viderant. Consule Spondanum in Annalibus ad annum 1512. num. 5.*



rabantur octoginta naves onerariæ, decem maximæ triremes, armis, tantaque com-  
 Sæcul. XVI. A.C. 1509.  
 meatus, ac bellici apparatus copia instructæ, ut Orano capto nequidem media illius pars consumpta esset. At ecce! classe jamjam adventante exercitus, priusquam naves conscenderet, stipendia numerari postulans seditionem movet, cujus flamma unico ferme momento ad omnes copiarum ordines diffundebatur, illiusque auctor credebatur ipse Petrus Navarrus, qui ceteroquin nulla generis nobilitate, nec liberali educatione clarus nonnisi adspirante fortuna inter Belliduces cooptatus erat, ac insuper asperioris indolis Vir, rudis, violentus, acer, flecti ac dissimulare nescius audiebat. Nihilominus Cardinalis Ximinius dexteritate ac moderatione insignis brevi tumultum sopivit, ac nonnullis Belliducibus ad placandos milites operam navantibus, ipse Navarrus Sacramentum Cardinali jam antea præstitum innovavit, pollicitus, se eidem debita subjectione adhæsurum, cunctaque ejus imperia integra fide executurum.

## §. LXII.

*Exscensio Cardinalis cum exercitu ad Mersalcabirinum portum.*

His ita prospere dispositis, Ximinius *Marian. lib. 22. n. 77.*  
 magnam Hispaniæ triremem, quæ  
 classis